

Michael Virdungus

‘Brutus’

Tragoedia
(1596/1608)



Andreas Hagmaier
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
September 2007

Interlocutores

Caesar
Brutus
Lucilius
Chorus
Antonius
Nuncius
Strato
Miles

Actus primus

Caesar, <Miles>

- Caes. Acherunte vix revulsus huc alta via,
Qua rigida constat crassa caligo inferum,
Adporto meme Ditis evasa specu
His interesse gestiens ludis novis,
Ludis cruentis, mortuo quales mihi 5
Fas est parari. Caesaris mors arguat
Vt sicca vitam? quine vivens hauserim
Tantum cruoris, cuius haud unquam manus
Sedarit ardens caede, cui tot maximi
Duces, tot urbes, tot ferae gentes iacent, 10
Non iam meum cruore restinguam rogum?
Cruore vivus decoloravi salum,
Cruore salsa mortuo spument vada;
Cruore vivo ceu redundavit solum,
Et nunc redundet. cuncta vivus dirui: 15
Lacerare mundum mortuus cessem modo?
Iam, iam insto gravior. arma cur civilia
Cessant? quoisque trux taces belli canor,
Cives et hostes, cuncta furians, hui, canor?
Quousque dira stertis, Alecto? iam age, 20
Convolve mundum, intende vocem, Tartaro
Iam erumpe bella fronte praepotans fera
Spiransque Martem lumine, hydros surrigens
Agensque pae te incendia ac luctum et necem.
Sic, sic decebat: functa es officium probe. 25
Gliscit simultas, iacta belli semina
Civilis; odio cuncta turgent mutuo;
Iam, iam alter armis alterum infestis petit;
In se ruunt furore correpti gravi.
Rapiuntur arma, Martiae clangunt tubae; 30
Quassatur orbis; sanguine unctus civico
Gladius ferocit; hauriendis urbibus
Grassatur ignis; vastitas, ferrum, faces
Totoque Enyus orbe bacchatur furor.
Sic nempe, sic ducum parentandum est duci. 35
Ruina Caesaris simul cunctos trahat.
Quo, noster olim miles, immittis gradum?

- Mil. O horror orbis, Caesar, o Martis decus,
Queis ades ab oris? stupeo et exsanguis tremo,
Quem te peremptum credidi, vivum videns. 40
- Caes. Vivo peremptus, vivo in exitium omnium,
Ideoque alastor e Styge erupi furens.
Sed iuniori nunciato hoc Caesari:
Probare nobis perget hanc claram indolem -
Sic vera nostri sanguinis stabit fides, 45
Transscriptus Orci sicque thesauro tamen
Sacrabor inter numina et coelum colam -
Nec has tremiscat me auspice armorum minas.
Fatale Caesar nomen orbi mortuus
Etiam triumphat. arma libertas crepet: 50
Cupido regni tractat illa ardentius,
Nunc melius etiam. proinde quatiant omnia
Secumque robur orbis Eoi trahant,
Ad arma quos avita libertas vocat:
Tanto paratu, gentium tanta lue 55
Tanto impetuque bellicorum fluctuum
Perfringere haud quivere decretum Iovis.
Fixum est, ut ex hinc Caesares orbem regant.
Quos ergo tantis fervidi conatibus
Cient tumultus? quaeve miscent praelia? 60
Non praestat uni supplicem summittere
Quam se terendum turpiter plebi dare
Humilem superbae? nam unus an cuncti imperent,
Dum tu impereris, anne servibis minus?
Servire quin et durius cunctis reor. 65
Nempe aliquis uni placeat, at nemo omnibus.
Sed finis instat, ecce, sublata mora
Nodoque belli. Cassii abscissum caput
Cerno cruentum resque demersas prope.
Idem manet cum caeteris Brutum exitus. 70
Non, non quiescet Vltio ac pausam dabit,
Donec peribunt, Caesaris quiqi nece
Animum vel audacem cruentarunt manum.

Chorus

- Ch. O quae res hominum respicis et deum,
Imo diva potens tollere de gradu
Sublimique humilem sede reponere,
Rursus conspicuo vertice sidera
Pulsantem barathri trudere ad infima,
Cuius numine res curta Quiritium 75

| | |
|---|-----|
| Aedes usque Iovis crevit in arduas, Vt iam mole sua pressa fatisceret, Quid, regina, paras? quas paris, o, vices? Sol hic celsimicans, omnituens, suo Et terram et pelagus lumine vestiens, Perfundens calidis cuncta vaporibus, Claram auriga vehens sidereus diem Atratis tetricus luget equis; suum Nubit veste nigra Lucifer os nitens; Lunae terribilis sanguine vultus est. Armorum sonitus et fremitus tubae Sublime adtonitis hausimus auribus Crinitaeque minas horruimus facis. | 80 |
| Altorum nemorum dia silentia Vox dira intonuit; sanguine Veiovis Telluris steriles depluit in sinus. | 85 |
| Et nunquam temere mota tremoribus Vrbs quassa est strepitu terribili fremens Et subitus penita parte remugiens. | 90 |
| Iam salsa lachrymas stillat ebur deum. Quin et noctivagans plebs fera manum | 95 |
| Et ferale sonans bubo animos metu Complevere; monet fibra tumultibus Vrbem iam gravidam mox fore civicis Concussam gravius seditionibus. | 100 |
| Hinc bellum lachrymosum, arva cruxibus Hinc pinguentia. quis Caesaris, heu, necem Tot monstra expeditat subsequ? num dei Immitem Aeneadas contra animum gerunt, | 105 |
| Hoc quod sustulerunt sidereum caput? | |
| An fortasse nova pressa tyrannide Mutato domino Romula gens gemet? | 110 |
| An metam potius venit ad ultimam Fortuna imperii? sic equidem reor, Quandocunque diem neverit ultimam Romano imperio Parca, fore ut furor | 115 |
| Civilis quatiat, misceat omnia. Sic vinci facilis fessa malis erit Vrbs rerum domina atque insuperabilis, Ni cives properent exitium sibi. | |

Actus secundus

Brutus

| | | |
|------|---|-----|
| Bru. | Rebus secundis hostium fusa manu Miserandus error Cassium leto dedit. Fortuna, quos tibi impotens ludos facis! Res, ecce, nostras contudit victoria; Gratatum ut imus, serimus, ah, luctus novos. Nihil, nihil nos laesit hostilis furor. Amica, amica cuncta pervertit manus. O diva, susque deque quae mundum rapis Agens ferensque cuncta, nam quid moliens Hoc, hoc cruenta vulnus inflgis manu? An fallor? an quid machinaris, quod tuam Perversitatem hanc deceat infestam bonis? Proinde furere desine haud unquam in bonos, In me quoque, age, age, more bacchare impio; Omnes habenas vester effundat furor: Num de meo me deiici patiar statu? | 120 |
| | An frangar animo? an horream insanum impetum? Adserere legibus suum ut dubitem statum Aut servitutem arcere collo civium? Quin immo totum nubibus mundum horridis Convolvat, in meme corusca Iuppiter | 125 |
| | Dum fulminator tela molitur manu; Insurgat Aquilo, tumeat insanum mare; Mi fractus illabatur orbis: hoc tamen Spirabit animo robur, haud unquam mea Pro patria timefacta quod tremuit fides. | 130 |
| | An potius igitur Caesaris sortem expetam Felicitate aut urar hac Antonii, Quos scelere ovantes quae satis lethe obruat Et posterorum oblivio diris clepat? | 135 |
| | Proinde cuncta et igne et armis misceant, Cives trudent, per scelus fallant fidem Datam senatu; illique patroni popli Ducant ad urbem; illi senatus principes Iugulent senatum, floris et quod civium, | 140 |
| | Gladio recidant. ut semel iacta alea est, In omne fas nefasque praecipites ruant. Regnare tanti est, ut iugo patriam premas Scelerumque precium maius accipias scelus, | 145 |
| | | 150 |
| | | 155 |

- Fundatur orbe civium toto cruar
Lacerque bellis mundus ad manes eat. 160
Haec, haec revolvunt corde tranquillo impii?
His lucis haustus gratus? his non credimus
Scelerum tumultu pectus adtonitum quati?
Quippe hos senatus ornat, hos, hos plausibus -
Pro servitus pudenda! - Romani fovent. 165
Restabat igitur hostium scaevo alite
Strinxisse cives parricidalem manum
In nos salutis publicae iam vindices,
Hoc servitutis praemium ut ferrent suae
Vel struere propria maius exitium nece. 170
O vita morte peior! o sors aspera,
Dira, exsecranda, quando nil leges valent
Miscente domino cuncta! praestat millies
Mori tyranni turgidum quam cernere
Vultum minantis. quisquis admovit manus 175
Scepbris superbas, caeteros servos habet
Leges neque illi, legibus verum imperat
Eius libido. faciat hoc non improbe:
Ipsum hoc tamen vir fortis haud ferre est potis
Aliter licere. quid, modum si iam exsuat 180
Et omne iusque fasque prosubigens pede
Prorumpat omne in facinus et sancti nihil
Ducat: sub hoc tu diriter vitam trahas?
Quae suadet animus quaeque vaesanu furor,
Te, te administro patret infanda, impia, 185
Vt dia quem lex solvat, hunc damnes reum,
Tua innocentem in carcerem ducas manu,
Vultu sereno fratri aspicias necem
Et fulminanti barbaro ostentes ferox
Manus cruentas caede patrata impia, 190
Paucos pudendae ut proroges vitae dies,
Caedes per atras ad tuam dum fit gradus?
Pudet pigetque gentis, hei, nostrae pudet!
Virtute cunctis illa praefulgens poplis,
Illa, illa domitrix orbis et regum lues 195
Regnatur atro colla submittens iugo.
Sed, ecce, nostros forsitan adfatus petens
Carum huc Lucilius graditur et fidum caput.

Lucilius, Brutus

| | | |
|------|--|-----|
| Luc. | O Brute, gentis sidus augustum tuae, Verende ductor, publicum quo sospite Nunquam fatebor perditum aut victum statum, Quid iam volutas? cura quae pectus coquit? | 200 |
| Bru. | Quid iam volutem potius aut qui pectus hoc Perurat angor ni malus patriae status, Patriae, perennis cuius exarsit mihi Amor medullis anxiumque haurit iecur. Hunc non procella sortis aut vis turbida Tempestuosi Martis eripiet mihi, Non terror ullus hostiumve immanitas; Non si tremendas Iuppiter flammas sonet, | 205 |
| | Divellat a me; spiritu citius queam Carere, membris, luce. | 210 |
| Luc. | lux o patriae Spesque una, Brute, rebus afflictis, diu Incolume nobis hoc dii servent caput! | |
| Bru. | Di patriae hoc mox forsan eripient caput. | 215 |
| Luc. | Omen sinistrum summus avertat deus! Sed unde dirum hoc pectoris praesagium? | |
| Bru. | Iam fabor, audi: spes ubi adfulsit meis Caduca nuper Cassius conatibus Innumera ducens tela, qua rapidis furens Propontis undis faucibus longis coit Et clara Abydon Sestos oppositam videt, Hic omne alacri ferveret cum milite Littus superbum, mi anxiū occultus timor Pectus coquebat; iamque curis pabulum | 220 |
| | Nox praebet atris; excubo mente anxia Caecos volutans Martis incerti exitus, Nec somnus oculos umbrat; aethereis polum Bigis subibat Luna iam medium; prope Cubile tremulis ignibus iam, iam mori | 225 |
| | Omni minatur Pallade exsorpta lychnus: Hic mihi repente strepitus, en, aures ferit, Respicio, lecto et, ecce, se adportat meo Immane monstrum, corpus horrendum viri, Illutibarbum, crinibus squallentibus, | 230 |
| | Spectu cruento, fulminanti lumine, Totum atritate triste formidabili. Hoc ergo vastam corporis molem movens Aciemque torquens igneam adsistit mihi. | 235 |
| | Proclamo: „quisquis es, agedum, dic ocios: | 240 |

- Quid hic negoci?“ rumpit hic fulmen soni
 Terrifica facies ore et infando canit:
 „Te, Brute, ut atris mactem et evertam malis,
 Luctifica pestis genius huc veni tuus;
 Apud Philippos me videbis.“ vocibus
 His fulminatus, mente praesenti tamen
 „Videbo“ dixi; nocti et atrae miscuit
 Se dira facies. ergo promissi memor
 Hac nocte rursum, elinguis at lecto adstitit.245
- Luc. Gelidus pererrat omne mi corpus pavor,
 Perfudit artus sudor algus; vix viam
 Formido voci laxat. heu, monstrum quid hoc
 Voluit sibi? quidve ira significat deum?250
- Bru. Nunc iacere belli stat mihi hac luce aleam,
 Vt victor aevum liber inter liberos
 Degam deinceps morte vel pulcra oppetam.255
 Nam aut pulcra vivere aut mori votum est mihi.
 Quid si - omen hostium impium elidat caput! -
 Lapsis supersis rebus?
- Bru. ulterius dein
 Curabo ne sim.
- Luc. proinde conscisces necem?260
- Bru. Cato hoc docuerit.
- Luc. cuius id factum improbas?
- Bru. Factum improbavi id, fateor, et nuper quidem,
 Sed forte iam aliis ardor incendit iecur.
- Luc. Ne genius hunc inspiret ardorem malus
 Modo, Brute.
- Bru. Daemon anne libertas malus?265
- Luc. Non melius est durare?
- Bru. si spes est fore
 Melius.
- Luc. quid ergo? fas mali aut mortis metu
 Accire mortem est?
- Bru. at ego non mortem aut malum
 Hac antevertam morte, sed probrum malum.
- Luc. Sapiensne probri quippiam in se admiserit?270
- Bru. Non esse me equidem dico sapientem, attamen
 Vitam abdicare si iubet sapientia,
 Cum servitutis noxiūm impendet iugum,
 Parebo.
- Luc. quamdiu tui regnum obtines,
 Haud ulla subicem servitus faciet sibi;
 Despicere poteris quaslibet regum minas.275
 Proinde dominos ne time, dominus tui.
- Bru. Dominor mihi ipse, dominus, en, vitae meae.

| | | |
|------|--|-----|
| Luc. | At esse vitae dominus haudquaquam potes. | |
| Bru. | Quid ergo? nostro haud imperaro corpori? | 280 |
| Luc. | Quippe imperator summus hac te collocat Statione; num hinc discedis iniussu dei? | |
| Bru. | Iubet, iubet nunc imperator maximus; Pro patria moriente me fatum est mori. | |
| Luc. | At turpene adeo, Brute, vel miserum putas Pati tyrannos more viventem bono? | 285 |
| Bru. | Men' sub tyrannis more viventem bono Litare verae posse virtuti putas? Vt Brutus unquam vile mancipium audiat? | |
| | Prius unda flammis, sideralis Tartaro Mundus ligabit foedere adstricto fidem, Regalis olim quam satelles vileam. | 290 |
| Luc. | Non Socrates in mente? | |
| Bru. | non cunctis licent Eadem; tyrannos ferre liceat Socrati: Bruto tyrannum persecutori haud licet. | 295 |
| Luc. | Ne sequius quid fiat, hoc veneror deos. Sin iusta bella odere divi, te tamen Virtute certum est nil fore indignum tua. Nunc milites ad arma vexillum vocet, Martemque raucus aeris accendat canor. | 300 |

Chorus

| | | |
|-----|--|-----|
| Ch. | Auream quisquis patriae quietem Invidens diros acuit furores Ocia abrumpens laceransque cives, Ille sororum Cuncto ovat serpenticomum veneno | 305 |
| | Corque vallatur furiale flammis, Syrtium et Scyllae et rabidae Charybdis Horrida proles. O quid taetrius est, quid truculentius, Quid crudele magis, quid magis impium | 310 |
| | Quam ferro propria in viscera saeviens Intestina lues? o scelerum omnium Nunc, nunc Roma capax ob mala civica! Num leti domus est sic inamabilis, | |
| | Num dirus Phlegeton atque Acheruns fera Quam castrum hoc Furiarum et furialibus Vrbs obsessa malis? o mihi quam sedet Serpentes potius inter et horridis Torvarum tigridum vixe cubilibus, | 315 |

| | |
|---|-----|
| Quam spectem gladios sanguine civium Vndantes, hominem qui magis efferant Vel diris colubris vel rabida tigri! Cuncta vis miscet, silet inter arma Civium lex, et pudor exsulatum | 320 |
| Interim, virtus et eunt honestas; Plectitur insons; | 325 |
| Spernitur cultus pietasque divis Debita; at regnat scelus et libido, Omnis irrumpit vitium propages | |
| Agmine facto. | 330 |
| Quas tuas narrem taceamve clades, Roma civili recalens cruento? | |
| Horret et luctu mihi mens refugit; | |
| Faucibus haeret | |
| Mole vox ingente mali premente. | 335 |
| Parcite, o divi, veniam precamur, | |
| Hei, Remi mortem facinusque fratris | |
| Iam satis ulti. | |

Actus tertius

Antonius, Nuncius

| | | |
|------|--|-----|
| Ant. | Quicunque sortis asperas luges vices Fallacis, huc, huc ad vices Antonii Aciem reflectas teque Fortunae pilam Gemisce deinceps aut herae mutabilis Libidinoso obnoxium regno dole. Cui instabilior, cui rota versutior Volvit, revolvit motibus vitam incitis Mutans secundis tristia ac laeta asperis? Vt deprehensa navis alto gurgite Fremento vento rapitur et magno mari Iactatur, impotente raptavit ioco Orbis tyranna me, me et oppressum extulit Rursusque pressit rursus et coelo locat. Quippe ille, qui sublimis alto vertice Pulsans Olympum patriae princeps eram, Mox urbe pulsus gentis et vibex meae, Egenus, exspes inter Orci iam haesitans Cancros perieram. quis revicturum ratus? Atqui revixi moxque ut inferna redux Ab sede victor hostibus pestem tuli. Acheronte rupto vis velut Tirynthii Abstraxit atra a sede custodem ferum Ditis vomentem virus ac terram lue Late imbuentem; tunc niger luxit dies, Solque ipse timuit; sic meus redditus fuit Romae tremendus, luctuosus civibus. At hoc volebant; istud et nostri furor Sitiens cruoris meruit et dirum scelus. Antonii vim provocent: pulchre meos Et interemti sum ultus hostes Caesaris Pieque; quippe his me decebat victimis Placare mysten Caesaris numen mei. | 340 |
| | Atqui revixi moxque ut inferna redux Ab sede victor hostibus pestem tuli. Acheronte rupto vis velut Tirynthii Abstraxit atra a sede custodem ferum Ditis vomentem virus ac terram lue Late imbuentem; tunc niger luxit dies, Solque ipse timuit; sic meus redditus fuit Romae tremendus, luctuosus civibus. At hoc volebant; istud et nostri furor Sitiens cruoris meruit et dirum scelus. Antonii vim provocent: pulchre meos Et interemti sum ultus hostes Caesaris Pieque; quippe his me decebat victimis Placare mysten Caesaris numen mei. | 350 |
| | Quis ille anhelans tendit huc cursu incito? | 355 |
| Nun. | O Imperator, quod tibi votum unicum Hosti inferentem signa bellum cernere: En, tempus hoc est, casus optatus datur. Direxit aciem Brutus: assaultans eques Mixtusque veles spiculis onerant manus | 360 |
| | Quis ille anhelans tendit huc cursu incito? | 365 |
| | Quis ille anhelans tendit huc cursu incito? | 370 |
| | Quis ille anhelans tendit huc cursu incito? | 375 |

Ac tela fundunt probraque in nostros simul;
 Densum agmen aliud opperitur praelium.
 Ant. Sic, alte Apollo, sicque facias, Iuppiter!
 Iaciatur omnis hoc die belli alea! 380

Brutus

Bru. Et si ipsa vera patria vos succenderit
 Virtute et ipse vosmet instinctu sacro
 Cerno ruentes atque alacri me impete
 Praecurrere animi, non tamen deero uspiam
 Orationis admovens vivas faces 385
 Flammare corda robur inspirans pium.
 Hic ille nobis, miles, illuxit dies;
 Nunc tempus illud, nunc data est occasio;
 Hic campus, hic est, quo salutem civium,
 Patriam, parentes, templa, delubra omnia,
 Deos penates, quicquid et sancti uspiam est,
 Ex impiorum eripere iam dabitur manu;
 Iam optata nobis illa libertas adest.
 O patria mersa tot malorum fluctibus,
 Confixa telis parricidarum, undique 390
 Adficta, moerens, saucia, en unquam caput
 Erigere pressum audebis? ah, si qua est salus,
 Tu lumine udo, tu gravi suspitu
 Ex corde ducto nunc manus has respicis;
 Tu, tu tuorum civium imploras fidem. 400
 Proinde, fidi milites, flos martius
 Manusque fortis patriam in dextris gerens,
 Quos civitatis quosque cunctorum salus
 Potior salute quosque libertas viros
 Evibrat, excit menteque inflammat pia, 405
 Nunc, nunc patritam rite virtutem aemuli
 Romaeque memores ite composito gradu,
 Ite in latrones civium pastos nece!
 Ipse adero vobis, ipse non parcam mihi.

Chorus

Ch. Nunc omnis occidit spes;
 Nunc, nunc fuisse praestat. 410
 Periere cuncta, nil est
 Quo nitier queamus;
 Quin nec Salus saluti

| | |
|---------------------------|-----|
| Esse, ut velit, potissit. | 415 |
| O Sol, ocelle mundi, | |
| Haec contueris opples | |
| Spissis nec os tenebris? | |
| Non flammeas quadrigas | |
| Omittis, alme rector? | 420 |
| Luci nec exsecrandae | |
| Nunc ultima incubat nox? | |
| Scelus triumphat, omnis | |
| Iacet sepulta virtus. | |
| Insultat aequitati | 425 |
| Nefas, in immerentes | |
| Poena expetit nocentum; | |
| Scelus est amasse cives. | |
| O quae satis dehiscat | |
| Tellus et impotenti | 430 |
| Nos subtrahat furori | |
| Antonii impiove | |
| Octavio, cruentis | |
| Saevisque nunc, priusquam | |
| Subacta civitatis | 435 |
| Cervix iugum recepit. | |
| Ollis cruento et armis | |
| Et luctibus redundat | |
| Urbs consitrix amaris. | |
| Ollis furenter omnes | 440 |
| Excussit ira habenas | |
| Et omne prosubegit | |
| Pede fas, ut impotentis | |
| Furiat cupidio regni. | |
| Nunc alteris fugatis | 445 |
| Quid partibus patrabunt? | |
| Oestro pari feruntur: | |
| Quae caussa concitavit | |
| Illos ad arma, iam, iam | |
| In bella fors remittet. | 450 |
| In se ruent furentes, | |
| Civesque ute triumphet, | |
| Cernent cruento multo. | |

Actus quartus

Brutus, Strato, <Miles>

| | | |
|------|---|---|
| Bru. | Adversa quantum pugna nostras fregerit Vires, amici, quaque perculta omnia Iaceant ruina, nulla quam adflictis viam Fortuna rebus monstret, haud quenquam reor Latere vestrum. corruit patriae status, Reparanda nec iam Marte libertas perit. Meliora donec augurari et civibus Prodesse miseris licuit, haud unquam meus Cessavit ardor. grata posteritas feret, Quos ego labores, quae pericla exhauserim, Dum civitati studeo. non me terruit Tanto illa clades septa nuper robore, Non arma, queis succubuit orbis, non opes Pares Tonanti, non metutae gentibus Vires et illud orbi adoratum caput; Non me secures totque lictorum minae Ac terror ingens ille summovit, ferox Quin irruens ovante dextra stringerem Telum in tyrannum et impium haurirem latus. Sed postea destitimus, in patriam mea Pietas refixit? nonne vigilans omnia Vidi, paravi, queis nefandum liberis Depelleretur civium collis iugum? Proinde cum sors flatibus saeva horridis Patriam intonarit totque conatus meos Fractos repulerit, nulla se ostendat via Cives iuvandi, cuncta sors obstruxerit: Quid has revolvam hinc igitur in cassum vices? Quid me fatigem? quidve terras sanguine Et maria inundem? nonne mi fas hac manu, Qua civitati parta libertas fuit, A servitute me quoque adserere impia? | 455 |
| | Quid ducitis suspiria ac maesti genas Fletu rigatis? quid prece indomitum irrita Domare vultis? prorsus hoc animo sedet. Moriente patria Brutus an dubitem mori? | 460 |
| | Str. | Per spes relictas perque concussum quidem, Nondum tamen te sospite eversum statum, Per hancce fortem dexteram atque hoc igneum, |
| | | 465 |
| | | 470 |
| | | 475 |
| | | 480 |
| | | 485 |
| | | 490 |

| | | |
|------|--|-----|
| | Magnanime Brute, pectus et, quae supplices Tibi tendit, eheu, patria infelix manus, Ne nos relinquas neve tecum exstingere Properes. salutem civium nescis tua Salute niti? | 495 |
| Bru. | cuncta mecum haec antea Animo peregi. ne istud, o rex coelitum, Tu siris unquam, ut Brutus admittat nefas, Neu nostra iusto hoc lacinetur verbere Apud minores fama, ceu patriam feris Quassam procellis degener turpi metu Meisque viduus liquerim virtutibus. Sed subvenire ut tempore in tali queam, Ecquas obarmo copias? ecquam manum Oppono multitudini hostili? ecquid, heu, Queat esse conclamata libertas magis? Nunc, o deorum si quis humanum genus Curas regisque, si quis arcu flammeo Coeli omnia arces celsus et vasto quatatis Mundum fragore fultus astrato throno, Cuncta audiens, cuncta intuens, promptam in malos Et perpetrantes scaeva vindictam parans, Tete suprema, Iuppiter, voce invoco, Vt, qui hos malorum concitavit turbines Saevisque miscens cuncta tempestatibus Hac civitatem clade miseranda obruit, Ne vitet olim scelerum Adrastaeas vices Illuseritve inultus Astraeae piae. | 500 |
| Mil. | Quid his sedemus hostico infestis metu Saxis? trahendae quodve consilium morae? Quin linquimus suspecta praecipiti fuga? Fugiamus, at non pedibus. aerumnas graves, Vitam pudendam, quaque nil est taetrius, Hac servitutem fugere me dignum est manu; | 510 |
| Bru. | Hac, hac patebit vera libertas via. Etsi corona septus hostili, hac iter Pandam salutis hostium irrisis minis. At vos adurget quos prope hostilis metus, O cara capita pro fide passi ultima, Abite propere neu serite flendo moras! | 515 |
| | Haud flendus, haud sum. patriae potius vicem Lugete et hostes, qui modo ob victoriam Tumefacta corda scelere praeclari gerunt: Hei, quam nefandis scelera suppliciis luent! Quas funeratae patriae poenas dabunt! Agite, ite vosque auferte properanti gradu. | 520 |
| | | 525 |
| | | 530 |
| | | 535 |

Ipse at mihi rellictus actatum exsequar,
 Quod sedit animo quodque posteritas probet.
 Age, o vocatus mucro tu quondam haud meos
 Frustrate, quando latere fixus Caesaris
 Labem abluisti servitutis civibus
 Fuso tyranni sanguine, o nunc, illius
 Quod tunc petivi morte, iam adipiscar mea.

540

Chorus

- Ch. Nunc, nunc pariter tollite fletum, 545
 Tundite pectus; porro occinite
 Carmen miserum his adfine malis.
 Flendi seges est ubera, flendi
 Dant caussas, ne quaerite, cuncta.
 Periit patria, periit, nobis
 Quicquid lucis gratius haustu. 550
 Pars amissos moeret amicos
 Parsque propinquos parsque parentes.
 Publica privis mage nos moveant.
 Vedit populus, videre patres, 555
 Laniata comas Romaque vedit
 Truncos procerum sanguine foedos
 In rostris artus tabere.
 Heu, quae facies, heu, qui luctus,
 Cum tua, princeps, ora, disertum, 560
 Coelesti fulgentia lingua
 Dextraque nuper scelere Antoni
 Loca polluerunt, quae exornarant!
 Ipsa, ah, Peitho tum conticuit
 Redituraque nunquam orbe profugit. 565
 Nam quid pelagus sanguine decolor
 Nostro ac pingues iteremus agros
 Quidve exhaustas civibus urbes
 Et pube omni Italiam viduam,
 Cum servitii premat haec clades, 570
 Quae quo non exitio gravior?
 Proinde ne lessum facilitate Bruto;
 Naenias turpes procul abstinet!
 Nil ducis magni gemitus dolorque
 Funus honestant. 575
 Ille, ceu pulsata Noto ornus ingens
 Grandine aut flictus paries sonora
 Aut cachinnantis crepitu reclamans
 In mare rupes

| | |
|--|-----|
| Prominens undae, stetit acer atque Semper invictus se animosiorque, Barbaro Fortuna minas furore Cum intonuit trux. | 580 |
| Illius semper generosus ardor Pectus accendit patriam tueri, Otio ut posset similis parentum Roma fruisci. | 585 |
| Lumen o urbis columenque tantae, Vita dum mansit, animose Brute, Nenu libertas potuit moriri, | 590 |
| Ni morerere Tute. das saltum baratro profundo Et iacis tete medios in ignes, Publico ut prosis statui; Quiritum | |
| Vltime, salve, | 595 |
| Salve et aeterna fruere, o, quiete; Quamque quit virtus meruisse rara, Hanc tuo exspecta capiti perenni Frunde coronam. | |

Actus quintus

Antonius, Lucilius, <Antonii Miles, Nuncius, Chorus>

- Ant. Exsultat animus, mens triumphat gaudio. 600
O lux venusta! o plena laetitiae dies!
Nostrasne Brutus incidit vivus manus?
Ille, ille Brutus, fratriis occisor mei,
Princeps senatus in necando Caesare?
Vbi illud animi robur? ubi tandem viri
Indomita virtus? ecquis hunc speraverat
Eousque mortem fugere degeneri metu?
<Luc.> Quid gaudio vagare? quid vanum tumes?
Non quem putasti bellica captum manu
Tenes; nec huc vis scaeva Fortunae valet, 610
Tantum ut superbo gloriam calcet pede,
Nec sic iacebit vera dissimilis sui
Prostrata virtus. ecce, me turmae offerens
Nostros prementi mentiensque ipsum ducem,
Vt interim ille evaderet vestras manus,
Sic sum prehensus. me proin duci iube 615
Laceransque saevis corpus hoc cruciatibus
Demitte morti. laetus atque interritus
Exspecto quicquid asperum ac saevum cluet,
Salus amico parta dum sit vel necem
Salute visum oppetere potiorem siet. 620
- Ant. Quid homine, per quem vivit inimicum caput,
Faciemus?
- A. Mi. ut vult, tortus occumbat necem.
- Ant. Sic es mihi auctor?
- A. Mi. quippeni; ob factum inpium
Redhostiatur praemio ut digno scelus. 625
- Ant. At non; ita exhinc cura sit Sanco mei
Sic hocque semper protegat Fidius caput!
Adeone fugiat omnis hoc pectus meum
Exosa honestas, haecce me ut moveat nihil
Pietasne dicam? dicere anne est amplius?
O facinus ause saeculo maius tuo!
O mira fidi pectoris constantia!
O Brute, felix hoc amico! o saeculum
Exemplo et isthoc Sol fruens spectaculo!
Quin laetiore ergo enitescis lumine, 630
- O nostra, Titan, hactenus pallens mala?

| | | |
|-------|--|------------|
| | En, tale facinus praedicabunt posteri, Oblivionis nec putri rancens situ Chartis virescet insitum immortalibus; Pyladenque nostra ac Thesei fidum caput Iactabit aetas atque Damonem suum. Equidem fatebor: si mihi concederet Fors Brutum apisci, dubius haererem aestuans, Facerem quid illo; nam peremptus parcere Frater vetaret. te mihi at merito lubens Adscisco amicum summo honoratum loco. Sit incitamen saeculis cunctis fides Factum utriusque. | 640 |
| Nun. | Brutus, o dux maxime, Calens recenti caede, plenus sanguine, Inane corpus unico pectus iacet Transactus ictu proprio ferro incubans Memoresque servans acritatis pristinae Notas minaci tetricum vultu riget. Quid facere nos hoc corpore exsangui iubes? | 645 |
| Ant. | Etsi ille partes fovit adversas mihi, Dum vixit, hostis acer, exstinctum tamen Saevire in hostem haud esse generosi puto. Habeat sepulcri quisquis est reliquus honor Praeterea; at istud tegmen ostrinum interim Iniicite nostrum contegendo corpori. | 650 |
| <Ch.> | O Brute, bracteata quem virtus levi Linguae politae splendicans tectorio Olim fefellit, quid labores irritos Cepisse prodest? anxiam vitam tibi, Dum nosque teque conserens curis facis, Mors interim immatura rapuit spiritum. | 660 665 |

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Die Brutus-Tragödie Virdungs wurde in vier Auflagen publiziert, erstmals 1596, sodann in einer leicht überarbeiteten Fassung 1598 (das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar: www.uni-mannheim.de/mateo/camena/vird1/te02.html) und schließlich in einer völligen Neubearbeitung 1608 und 1609. Die Ausgabe von 1608 ist nurmehr durch den Katalog der Staatsbibliothek zu Berlin nachgewiesen; sie gilt als Kriegsverlust. Aller Wahrscheinlichkeit nach bietet sie den gleichen Text wie die Auflage des Jahres 1609. Eine umfassende Behandlung der Tragödie ist unlängst im K. G. Saur Verlag erschienen: Andreas Hagmaier, M. A. Muret, Julius Caesar – M. Virdung, Brutus. Zwei neulateinische Tragödien. Text, Übersetzung und Interpretation, BzA 235, München/Leipzig 2006.

Dem hier abgedruckten Text liegt die endgültige Fassung aus dem Jahr 1609 zugrunde. Er entspricht dem der Ausgabe von 2006 – lediglich ist der Buchstabe „j“ hier als „i“ geschrieben. Zu Abweichungen vom ursprünglichen Druck sowie zu den früheren Fassungen der Tragödie siehe dort S.217ff.